

puniantur. Interim in iis, qui ad me tamquam christiani deferebantur, hunc sum sequutus modum. Interrogati ipsos, an essent christiani; confitentes iterum ac tertio interrogati, supplicium minatus; perseverantes duci jussi. Neque enim dubitabam, qualemque esset, quod faterentur, pervicaciam certe, et inflexibilem obstinationem debere puniri. Fuerunt alii similis amentiae: quos, quia cives romani erant, adnotavi in urbem remittendos; mox ipso tractau, ut fieri solet, diffundente se criminis, plures species inciderunt. Propositus est libellus sine auctore, multorum nomina continens, qui negarent, se esse christianos, aut fuisse, quum, praeeunte me, deos appellarent, et imagini tuae, quam propter hoc jussoram cum simulacris numinum adferri, thure ac vino supplicarent, praeterea maledicerent Christo: quorum nihil cogi posse dicuntur, qui sunt revera christiani. Ergo dimittendos putavi. Alii ab indice nominati, esse se christianos dixerunt, et mox negauerunt; fuisse quidem, sed desisse, quidam ante triennium, quidam ante plures annos, non nemo etiam ante viginti quoque. Omnes et imaginem tuam, deorumque simulacula venerati sunt; ii et Christo maledixerunt. Adfirmabant autem, hanc fuisse summam vel culpae suae, vel erroris, quod essent soliti statu die ante lucem convenire: carmenque Christo, quasi Deo, dicere secum invicem: seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne surta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum adpellati abnegarent: quibus peractis morem sibi discedendi fuisse, rursusque coëundi ad lapiendum cibum, promiscuum tamen, et innoxium: quod ipsum facere desisse post edictum meum, quo secundum mandata tua hetaerias esse vetueram. Quo magis necessarium credidi, ex duabus ancillis, quae ministrae dicebantur, quid esset veri et per tormenta quaerere. Sed nihil aliud inueni, quam superstitionem pravam et immodicam, ideoque, dilata cognitione, ad consulendum te decurri. Visa est enim mihi